

Bibliothèque numérique

medic@

**Chanel, C.-F.-C.. - An in exanthemate
acuto ac febrili, morbus sit totus in
inflammatione cutis ?**

1829.

Paris : Ex typis A. Barbier

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1829x02x07>

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

*Iussu Regis optimi, et ex mandato
summi regiae Universitatis Magistri instituta anno 1829.*

AN IN EXANTHEMATE ACUTO AC FEBRILI,
MORBUS SIT TOTUS IN INFLAMMATIONE CUTIS?

THESIS

QUAM, DEO JUVANTE, IN SALUBERRIMA FACULTATE MEDICA PARISIENSI,
PRESENTIBUS COMPETITIONIS JUDICIBUS, PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS
SUBJECTAM TUERI CONABITUR, DIE UNDECIMA CALENDAS AUGUSTI, ANNO 1829.

C.-F.-C. CHANEL,

FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR MEDICUS ET CHIRURGUS, IN NOSOCOMIO LUGDUNENSI NUPER INTERNUS.

Liberam profiteor medicinam; nec ab antiquis sum nec à
novis; utroque, ubi veritatem colunt, sequor.

Kleinii clin. interp. prof.

PARISIIS,

EX TYPIS A. BARBIER, VIA (DES MARAIS S.-G.), N° 17.

1829.

0 1 2 3 4 5 (cm)

COMPETITIONIS JUDICES.

D....	ESQUIROL.	Præses.
D....	LANDRÉ- BEAUVAIS, Decanus. . .	
D. D.	ADELON.	Judices.
	ANDRAL.	
	CAYOL.	
	CHOMEL.	
	FIZEAU.	
	GAULTIER DE CLAUBRY.	
	DE KERGARADÉC.	Vicem gerentes.
	RULLIER.	

COMPETITORES.

MAILLY.	CHANEL.	FORGET.
DEFERMON.	DALMAS.	DUBOIS.
GUIBERT.	SANDRAS.	ROYER-COLLARD. . .
LÉGER.	GUÉRARD.	VIDAL.
HOURLMANN.	BERJAUD.	GUILLQT.
AYME.	SANSON.	REQUIN.
BROUSSAIS.	MÉNIÈRE.	GAIDE.

**AN IN EXANTHEMATE ACUTO AC FEBRILI,
MORBUS SIT TOTUS IN INFLAMMATIONE CUTIS.**

Primo aspectu illa quæ mihi tractanda præbetur thesis immensa videtur et maximè implicita. Quippè ad cognoscendam penitus morbi cujuscunque naturam, indaganda sunt non solum illius symptomata, causæ, cursus et epiphænomena, sed etiam disquirendæ sunt affectiones vicinæ aut accessoriæ, et quæ ejus naturæ participes esse possunt. Cujus igitur in animo foret intimos quæstionis adire recessus, illi perlustranda esset ferè omnis pathologia non solum cutanea sed etiàm generalis. Simul ac etenim veniret in conspectu symptomatum series, necessarium foret illa describere, scrutari morbum cui referri videntur, quod sit proprium morbo cutaneo secernere phænomenum ab illo quod tantum est accessorium, deniquè ratiocinio et observationibus selectis demonstrare quonam vinculo jungantur duæ affectiones à causâ ad effectum, aut forsitan quo modo solâ collectione symptomatum intelligi possit affectio. Illius enim naturæ phænomena possunt esse vel necessaria, vel accessoria, vel quasi complicatio.

Quæ opera, prætereà quòd vires superat et spatio non est congruens, mirum in modum contrahi potest. De naturâ exanthematis acuti potius quàm de symptomatibus agitur, de elementis potius quàm de descriptione, de morbis adjunctis multò minùs quàm de utriusque juncturâ. Prætereà de febris eruptivâ (ut aiebant veteres) tantum tractandum est, et quamvis omnis alia cutanea eruptio acutam et febrilem induere possit indolem, non veniet in quæstionem nisi lucis asserendæ causâ et compara-

tionis ope, ut melius innotescant materiæ natura et ingenium. Tali modo contracta thesis tyroni et insueto sat longum præbebit curriculum; forsân et sæpius utilia omittam et quæstionis summa delibabo.

Materies nostra in tres partes delineatur.

Prima pars exanthematis generatim sumpti definitionem, nosologiam et divisionem præbet.

Secunda pars de naturâ exanthematum instituta, et in tres ordines discerpta, symptomatum comparisonem et analysim confert.

In tertiâ denique variæ opiniones de exanthematis acuti ac febrilis naturâ scrutatione philosophicâ indagantur, et corollariorum sub formâ nostra emittitur sententia.

PRIMA PARS.

Exanthematis definitio et nosologia.

Exanthema dicitur è voce græcâ ἐξάνθημα ab ἐξέρθω idest *effloresco*, *erumpo*. Quod generale vocabulum omnem efflorescentiam cutis significat, et nihil præcisè indicat in Hippocraticis libris. Nunc enim, sub isto nomine colliguntur lichen, lepra, leuce, miliaris vesicula, cutaneæ maculæ inflammatoriæ vel non, leves aut rugosæ, ampullæ cimicis aut pulicis similes, ulcerationes et ulcera. Qui divum senem secuti sunt confusionis fuerunt imitatores, dixeruntque exanthema non solum eruptiones cutaneas, sive acutas sive chronicas, sed etiam morbos multò magis implicatos, *pestem*, *dysenteriam*, *phrenitim*, *synochum* et *pneumonias*. Ex illis divisionibus quibusdam jam deducitur, apud veteres exanthema non fuisse morbum localem, sed visceribus partem affectionis tributam esse; quæ opinio multò magis in sensu erat quam in demonstratione. Taliter habita illa vox nihil certi afferebat in significatione.

Sequentibus seculis, et ut præcipui tantum adnotentur nosologiarum auctores, *Sauvages* (1) inter *phlegmasias* instituit exanthemata febrilia, et

(1) Nosologia Methodica, 1763.

in alium ordinem impulit hypotheticas species nempe *hematuriam*, et *hemoptisim exanthematicas* et *synochum variolicum*. *Linnæus* (1) è contrà inter *pyrexias efflorescentes* admisit exanthemata acuta, chronicaque ordinavit in *viciis*. *Cullen* (2) similem opinionem amplexus est. Exanthema est (illius sensu) febris sive pyrexia quam sequitur eruptio ad cutem, aut membranam gulæ et faucium; sub isto nomine collegit et specifica et localia exanthemata. In aliis ordinibus sparsa erant exanthemata chronica. Præcedentes auctores secuti sunt *Vogel*, *Macbride*, *Sagar*, *Vitet*, habentes exanthemata tanquàm *pyrexiarum* genus. Ad antiquam opinionem redux prof. *Pinel* (3) illa tanquàm phlegmasias cutaneas reputavit; quæ mutatio justa est si ad symptoma externum spectemus, pessima verò quoad pertinet ad therapëiam, quippè illa procul removet ideam morbi generalis qui non, nisi ut complicatio, admittitur. D. *Petit* (4) nihil de naturâ exanthematis jactitans, in quatuor ordines disponit; de quâ ordinatione nihil ad nos attinet.

Huc usque auctores citati in sensum generalis pathologiæ habuerunt exanthemata. Taliter non est de illis quorum nomina sequuntur, et qui specialem sensum adhibentes ad memoriam tantum revocandi sunt, scilicet *Willan* (5), *Bateman* (6), *P. Frank*, et doctores *Rayer*, *Bielt*. In quorum operibus cutaneæ eruptiones non secundum causas, sed aspectum et formarum elementa distribuuntur; quod investigationis genus ad nostrum objectum nil valet.

Non idem sentiendum est de D. *Broussais*, secundum quem cutanea eruptio nihil essentielle habet, et morbus in visceribus præcipuè sistit, nempe in mucosâ organorum quæ digestionî inserviunt, adjunctis secundum formas quibusdam phænomenis accessoriis ad laryngem, nares, bron-

(1) *Genera Morborum*, Upsalæ, 1769.

(2) *Synopsis nosologiæ methodicæ*, 1772.

(3) *Nosographie philosophique*, 1797.

(4) *Diction. des Scienc. Médic.*

(5) *Description and treatment of cutaneous diseases.*

(6) *A practical synopsis of cutaneous diseases.*

chias aut pharyngem. Has et illas opiniones attentè perpendemus postquàm, solutâ thesi, exanthematum natura et divisiones clarè innotescunt.

Nobis vox *exanthema* sonat æquè ac eruptio, et ad solutionem quæstionis admittitur sequens definitio : *eruptio quæcumque ad cutem aut mucosas, non habitâ ratione causæ aut exitûs*. Acutum et febrile exanthema tale fiet adjunctione pyrexiaæ cujus causæ variabitur, sicut postea patebit. Dividuntur exanthemata in tres series sequentes.

1° *Exanthema specificum* cujus indoles sequens est. Cui adest natura propria, speciale principium, natum è contagione *sui generis*, essentialiterque admittens duos ordines symptomatum quæ vi propriâ principii contagiosi oriuntur. Illa symptomata, inter se juncta tanquàm effectus unius causæ, in cute et visceribus sedent, et inveniuntur in febris eruptivis antiquorum. In hâc serie colliguntur *variola*, *rubeola*, *scarlatina*, et secundum quosdam *varicella*; in quibus tota constat thesis. Ad majorem lucem breviter adjunguntur duæ aliæ series.

2° *Exanthema ex statu anormali viscerum nascens*, à quo producantur vi propriâ, et absque omni principio speciali. Ille status esse potest vel biliosa colluvies in canali digestivo, aut irritatio in aliis visceribus. Ad illum ordinem pertinent *erysipelas biliosum*, *pemphigus acutus*, *acne rosacea*, *zona*, *urticaria*, *miliaris*, *purpura simplex*, *eczema*, *ecthyma*, *lichen* præcipuè apud infantes, etc.

3° *Exanthema è solo statu cutis oriundum*. Causas habet omnem vim chemicam aut physicam cuti illatam, et si adjungitur viscerum irritatio, illa non est essentialis sed complicatio. In illâ serie adsunt ferè omnia præcedentia, sed absque ullâ origine internâ.

Sic in primâ serie adest causa specifica per quam genuuntur exanthema, et viscerum irritatio, et febris; in secundâ è phlogosi internâ oritur febris simul cum exanthemate; dein in tertiâ ab exanthemate producantur febris et viscerum irritatio. Quæ triplex propositio evidens facta propositam thesim solvet. Triplici exanthematis ordini peculiare nomem imponemus, nempe 1° *Exanthema specificum*, 2° *exanthema gastro-dermicum*, 3° *Exanthema simplex*.

SECUNDA PARS.

PRIMUS ORDO.

De naturâ exanthematis acuti et febrilis sive specifici.

Ad sinceram et diligentem hujus quæstionis indagacionem, istius ordinis morbos dividemus in præcipua quæ offerunt stadia, sed generatim et omnis cujusque varietatibus. Illaque divisio nedum mutationibus externis nitatur (quod ad descriptionem valeret sed non ad scrutandam naturam) spectabit ad phænomena quæ in totâ corporis habitudine et œconomiâ superveniunt, et quæ ipsa nihil aliud sunt quàm cujusque essentiæ morbificæ expressio. Tali modo considerata exanthemata tres periodos præbebunt; periodos 1° invasionis; 2° eruptionis, 3° febris secundariæ. Ab aliâ ad aliam descendemus.

1° *Periodus invasionis.* Generalia phænomena quæ illa periodus illa constituitur eadem sunt in quâlibet morbi formâ. In *benigna* aut *maligna*, secundum majorem minoremve gravitatem, dividuntur, omissâ ratione statûs *confluentis*, *discreti* aut aliæ specialitatis. Quæ symptomata (in formâ benignâ) sequentia sunt. Frigoris sensationes alternatim cum aestu, agitatio, anorexia. Brevi nausæ, calor vel etiam dolor epigastricus compressione aut contactu increscens, ardor ad pharyngem et ventriculum; aspera sitis, acidorum appetitio. Linguae apici et margini rubor varius insidet, et basi color albescens aut flavescens. Supervenit cephalalgia, somnolentia in infantibus, sudorum facilitas in adulto; frequens arteria pulsatur, brevis et preceps fit respiratio; augetur agitatio, fiunt pandiculationes. Adjunguntur in dorso et lumbis dolores ad quos maximè intendebat J.-P. Frank. Adsunt vomitus, delirium, et mutationes in biliari, renali, salivariâ et lacrymali secretionem, ab excitatione glandularum pendentes. Præter

illas, quæ sympathicæ dicuntur, læsiones, et quæ essentialiter, me iudice, ad constituendam affectionem concurrunt, speciales observantururbationes huic vel illi eruptionis formæ congruentes, et quas non scrutandas indicare sufficiet. In *rubeolâ* adnotatur inflammatio mucosæ quæ nares et bronchias induit, laryngis et faucium in *scarlatinâ*, generalis mucosarum in *variolâ* phlogosis; in *varicellâ* ferè eadem reperiuntur specialitates sed in gradu valdè inferiori. Illa omnia symptomata semper habita sunt tanquàm pars essentialis naturæ morbificæ; ratiocinii ope et anatomicâ disquisitione (ut patebit) sequentibus phænomenis eadem natura tribuenda est.

Quandò morbus ad malignitatem vergit, major videntur in symptomatibus gravitas, numerus, varietas; sed in iisdem organis sedent, et quorundam aliorum sympathiam movent. Tunc adest rigor extremus, conteruntur membra, dejiciuntur vires et animus, acri colore cutis aduritur; frequentior, dura, et quasi coacta pulsatur arteria, convulsivi fiunt motus, aut prostratio, taciturnum aut loquax delirium. Magis ac magis increscunt symptomata; rubro margine involvitur lingua, in medio fuliginosa; mucositate siccatâ incrustantur dentes, jam minutæ secretiones abolentur, fluxus ad fætiditatem vertuntur.

Priora symptomata in posteriora mutari queunt naturâ vergente aut medicatione infaustâ, ergò non adest inter illa essentielle discrimen, ergò formâ tantum et non essentiâ distant affectiones quarum sunt fidelis expressio. Non sunt exanthemata modò simplicia, modò febri ataxicâ aut adynamicâ complicata, sed exanthemata in quibus viscerum phlegmasia (morbi pars integra) notabile incrementum accepit. Exanthematis cujuscumque prodromi inflammatoriam, biliosam, mucosam, adynamicam, ataxicamve indolem ergò vestire possunt; et in illo casu gravi, non de symptomatum generalium aspectu deducitur certa diagnosi, sed de phænomenis specialibus (anginâ, catharro, etc.) vel de circumstantiis cuique ægro propriis (ætate, anni tempestate, anteriori exanthematis existentia, aut presenti epidemiâ); quod facile intelligitur. Exempli gratiâ, nullo unquàm exanthemate stigmatus moriatur aliquis, jam nunc descripta symptomata præ se ferens; medico certa non erit causa mortis, siquidem fons et origo mali in simplici inflammatione viscerum esse possit, vel in prodromis

cujus libet exanthematis cujus mors non sivit evolutionem. Si animo penitus infixâ fuisset illa veritas, in usu fuisset, nec solum in theorico sermone, *Sydenhamii* doctrina de febris eruptivâ. Quid enim interest notam mihi esse affectionis naturam quæ debilitantia remedia clamat, si ægro ministrem excitantia quæ ad ignotam complicationem immittere in mente est? Vana est complicatio, adest tantum organum quodlibet instantin exanthemate excitatum, vel potius æger ardens phlegmasiâ qui remedium igneum patitur.

Ex illâ naturæ identitate, inter viscerum phlegmasiam, in exanthemate maligno gravem et conspicuam, et illam quæ levis et inattento obscura perstat in exanthemate benigno, certissimè deducitur in priori casu sicut in posteriori eam esse affectionis partem essentialem; minori enim gradu natura symptomatis mutari nequit. Admittamus etiam illam phlogosim aliquoties deesse (quod non est omniò); illud vitium constantis præsentiae non erit causa sufficiens cur negetur illius natura, sicut agitur in eruptione cutaneâ quæ formas varias induere potest, aut etiâ abesse, ut auctoritate *Boerrhaavii*, *Sydenhamii* et experienciâ quotidianâ constat. Nec obijciatur illud argumentum: non esse essentielle symptoma instante remedio minutum aut exaltatum (nempè phlogosim viscerum); idem dici potest de benignâ eruptione quæ minor aut major fit, ad mentem medici, ope medicationis idoneæ, ut testis est D. *Janson*, qui non semel variolicas pustulas quasi abortivâ indole affecit, per locales aut generales sanguinis missiones. Ex utrâque serie symptomatum nulla constans est, nulla exclusivè morbum sola constituit; ille autem morbus ex juncturâ utriusque pendet. Si una series specialem attentionem trahat, hoc tribuendum est sedi, quæ conspicua phænomena præ se fert, dum altera in profundo absconditur, et solâ turbatione interiori detegi potest. In sequentibus periodis majori luce patebit quonam vinculo jungantur phænomena, et mutuum sibi inferant influxum.

Si etiam anatomicâ probatione indigeremus, ratiocinio opem inferret sectio cadaveris, probaretque maximam relationem inter externas et internas alterationes. In illis enim casibus quæ morbi gravitas necem intulit, reperta sunt inflammationes, ulcera et suppurationes in omni organorum texturâ, et præsertim in utrâque mucosâ quâ intus vestitur corpus huma-

num. Sic *Haller*, *Gambius*, *Chirac*, *D. Fournier* *Pescay* abcessus in cerebro post variolam viderunt. Nulli medico desunt observationes gastro-pulmonaris mucosæ inflammatae aut ulcere multò affectæ. Sed si ingentes in vivo turbationes visæ sunt junctæ et congruentes cum internis et profundis alterationibus, secundum logicam, rectè concludetur ex iisdem phænomenis minoribus, quæ vitam patiuntur, nasci alterationes quæ leves nec diuturnæ ad normalem statum faciliè revocantur. Oculorum etiam testimonium adjungi potest ratiocinio. Quâ parte mucosæ cuti continuantur, eruptionis aspectus idem est ac in cute, habitâ ratione dissimilitudinis in structurâ. Et paulatim dum inferiora scrutamur, peculiarem aspectum suscipit alterationum forma, mutatâ sensim organorum texturâ. Quia hic jacet quætionis nodus, longius explicationes sunt evolvendæ, et in præcipuas exanthematis species producendæ.

In *rubeolâ* catarrhus oculis, naribus, laryngi et tracheæ infixus conveniens est cum eruptione exteriori, et materies quâ vestiuntur bronchiæ inflammationis formæ est idonea. In *scarlatinâ*, pharyngis, faucium, ventriculi, intestinorumque membrana mucosa sicut et ipsa cutis rubore punctato notatur. Adest etiam desquamatio epithelii quæ cuticulæ furfura imitatur. Si ad *variolam* veniamus eadem reperietur analogia. Pustulis ferè idem est ac in cute aspectus in labris, pharynge et gulâ queis inest epithelium evidens. In genitalibus eadem pustulæ reperiuntur. In locis autem maximè profundis sunt alterationes quæ illius absentiam denotant. Sic in tracheâ et bronchiis videntur maculæ in circulum productæ puncto centrali et rubro stigmatae, quas induit humor pseudo-membranosus cinereo colore. In ventriculo et intestinis apparent raræ vel frequentes maculæ quarum aspectus solus variolam difficilè annotaret. Sed multò gravior sit morbus, mirum in modum augebuntur alterationes. In *rubeolâ* laryngo-trachæalis inflammatio vestigiis multò magis conspicuis tradetur. *Scarlatina* tonsillas, pharyngem totum præbebit indutum exsudatione cinereâ pultaceâ (*Planchon*, *Fothergill*, *Huxham*), et accuratè secernendâ à pseudo-membranâ *anginae crustaceæ*. Ex illis auctoribus duo posteriores aspectu decepti has exsudationes tanquàm ulcera habebant. In *variolâ* videntur cinereæ exsudationes septo palati et linguae inhaerentes. Faucium mucosa rubore violaceo tingi-

tur, injectio ad linguales musculos penetrat ; laryngis et tracheæ idem est aspectus. Imò sæpè sæpius usque ad bronchias præcipuas frequentes adsunt pustulæ variolicæ, formâ et magnitudine *ferè similes* cutaneis. Illa tamen assertio prof. *Chaussier* explicatione indiget : pure liquido aut concreto non inflantur pustulæ inter corpus mucosum et epithelium posito, ut necessarium foret ad perfectam similitudinem ; verùm *epithelio absente* nuda est exsudatio. Quod leve discrimen à dissimili partium structurâ pendet. Comptum est enim curiosis D. Lélut experiētiis (1) epithelium non ultrâ progredi quàm glottidem aut cardiacum ventriculi orificium ; itâ ut illa cuticula interior quâ vestiuntur organa transitui ciborum inserventia, non extendatur ad illa quæ efficitur elaboratio. Illius densitas non eadem est ac in cuticulâ exteriorē, et sensim minuta loco citato desinit, nec ultrâ aspicitur.

Ex præcedenti disquisitione mirum non est in ventriculo et intestinis videri tantum inflammationis vestigia, et non pustulas. Illorum textura hoc alternationis genus non admittit, instante etiâ physicâ aut chemicâ irritatione. Sic *Bichat* vesicantia intestinis imponens bullas non produxit sed maculas rubrâ inflammatione conspicuas. Idem in larynge non semel vidit D. *Bretonneau* qui olei cantharidei actione membraneam exsudationem (sublato epithelio secundum D. *Guersent*) et aspectu similem diphteritidis exsudationi.

Cum cutanearum alterationum indagatio ad descriptionem morbi pertineat potius quàm ad philosophicam disquisitionem, libentiori animo omitteatur. Si ad omnia præcedentia spectaveris, legitima videbitur conclusio ; magis vel æquè saltem dissimilia esse organa interiora ab exterioribus per structuram quàm per alterationes. Sed si à me quæras quânam ratione, in normali aut pathologico statu, cutis inflammationem exprimant digestiva organa sæpius quàm alia viscera, objicienti responsum afferam illa etiâ (cerebrum, pulmones, etc.) phlogosis equidem et suppurationis repetitionem præbere, ut suprâ diximus, et ut quotidianâ observatione patet. Imò causas sympathiæ majoris cutem inter et vias gastricas necessarias esse

(1) M. Lélut, Étude Anatomicq. sur l'Épith., 1827.

indicat anatomica et physiologica indagatio. Etenim altera alteri continuatur; simul adjunctæ corporis totum tegumentum præbent, ad exterius sedent aut patent, externorum corporum continuo contactu afficiuntur, ita ut in imis animalibus altera alterius vices gerere queat, ut physiologiâ comparatâ constat.

Quod ad speciales sedes inflammationis attinet, secundum speciem cujusque exanthematis, illius ratio nulla dari potest, nisi *specificâ* indoles quæ perpetuò similem formam induit, simili constans ingenio. Non aliter concipitur immunitas à præcedenti contagione allata, et quæ in se solam contrahitur, nec in alias contagiones extenditur.

Longius autem, quàm usque nunc vidimus, producuntur perturbationes; et si exanthema essentialiter constituatur inflammatione specificâ tegumenti utriusque, et sic præbeat raptum vel fluxionem à centro ad peripheriam extrà parenchymatum texturam, ordo ille normalis non semper efficitur. Sæpè sæpius, et causis quas rarò attingere nostrum est, phlogosis particeps fit hoc vel illud parenchyma, sicut in aliis exanthematibus periodis probabitur.

Præcedentis indagationis ope legitimè negativâ voce solveretur thesis proposita, et in exanthemate aliud admitteretur plus quàm cutanea phlogosis. Non satis est, ex abundantia probandum est in illo esse plus quàm inflammationem *gastro-dermicam* (quæ vox breviter sententiam exprimit); ad quod agendum, demonstrandum sufficiet huic viscerum connexioni pathologicæ specificam inesse indolem, et rem non simili modo se habere ac in simplici cujus libet organi phlegmasiâ; quod sequentibus periodis planè innotescet.

2° Periodus eruptionis. In simplici inflammatione cutis aut mucosarum, mutuo consensu afficitur uterque ordo membranarum. Mechanico vel chimico actu incitata cutis in viscera interiora impetum facit, et vice versâ visceralis inflammationis particeps fit cutis, testantibus in illo casu illius rubore, siccitate, aut variis eruptionum generibus. Quot exanthemata è gastro-enteritide nascuntur! Sed tunc phænomena sibi invicem succedunt, vinculo connexa à causâ ad effectum. Nil autem simile reperitur in nostro specifico exanthemate; eâdem et simultaneâ actione producuntur duo or-

dines symptomatum. Et quænam est illa actio? Punctura levis..... multò minùs ! Contactus simplex, aut vitiatì aëris inspiratio. Quæ causa certè mechanicà vi aut chemicà in neutrum ordinem viscerum phlogosim intulit. Imò etiam, quamvis cuti imponatur contagio, viscera interiora priùs quàm cutis ipsa specificam inflammationem exprimunt. Si ergò altera alterius causa censi debet, illud dicendum forèt de internâ potiùs quàm de externâ excitatione. Adest ergo specifica quædam vis, *venenatio* propria, è quâ pendet interior simul ac exterior phlegmasia. Nec minùs in mutui influxùs gradu quàm in successione reperitur illa specifica indoles. In consueto enim et simplice inflammationis ordine, genitricis gradui accommodatur producta phlogosis, nullâ sympathicæ directionis habitâ ratione. In exanthemate specifico aliter res agitur. Levissimæ viscerum inflammationi sæpè sæpiùs succedit immensa cutis eruptio; aliàsque maximam phlogosim internam sequitur eruptio levis aut ferè nulla, denique altera alterius gradum imitari potest, quod ex individuali constitutione aut aliis causis ignotis fluere videtur. Inter illos duos ordines phænomenorum adest ergò junctura tanquàm inter effectus ejusdem causæ, et non inter causam et effectum. Imò, in statu normali dùm cutanea evadit eruptio, minor fit aut cessat inflammatio viscerum; et sicut vitæ peragendæ minùs necessaria cutis minori consensu nervosis centris connectitur, statim desinit febris, nisi eruptionis amplitudine loniùs producat, quod explicatione indiget.

Quò major fuerit interna phlogosis, eò difficiliùs è visceribus detrahetur et in cutem transferetur. Illa autem difficultas è gradu phlegmasiæ, vel ex ætate subjecti aut complexione sive *idiosynerasi* provenire potest. Magni momenti est illa distinctio ad therapëiam, dirigendi causâ vires aut curationem. Illud autem ad theoriam nil refert; in utroque casu, magnâ inhærente visceribus inflammatione levis fiet irruptio ad cutem, quod frequenter accidit, et aphorismum *Stollii* penitùs diruit. Sicque explicatur emollientium aut sanguineæ missionis utilitas in magnâ inflammatione interiori, non solum ad sublevandam viscerum phlogosim, sed etiàm facilioris efficiendi causâ raptùs in cutem. E contrà, desinente febre, quandò facili modo fit *molimen* ad exteriora, benigna dicitur eruptio (ignotâ transitionis causâ), et tunc frequentibus pustulis tributa est quasi depuratoria indoles. Sublatâ licet inte-

riori inflammatione, visceribus innixa superest dispositio ad phlogosim, sicut in tertiâ periodo probabitur.

3^o *Periodus febris secundariae.* Jam nunc nihil specificum præbebit phænomenorum connexio. Quandò exanthemate vigente cessat phlogosis interior, si cutanea inflammatio sit levis, jam non febris est, intactisque visceribus in finem peragitur morbus, sicut videtur in statu normali et frequenti rubeolæ et scarlatinæ, rarò in variolâ. In illâ quippè, propter immensum inflammationis gradum aut suppurationis spatium, adjuvante viscerum modo ardentium aptitudine, fit nova magnaue irritatio quæ ex cute in omnia organa irradiatur. Tunc nascitur febris secundaria quæ nihil dissimile præ se fert, ac si ex simplice phlogosi orta fuisset. Nihil ergò superest specificum; illa etiam eruptio quæ specialem cursum pergit, si cuilibet subjecto (usque tunc contagionis immuni) imponatur, etsi ingens ipsa, contagionem producet fortassè minimam et levissimam eruptionem. In viscera ergo influit non speciali indole, sed tanquàm inflammatio simplex. Nec obijciatur illius febris similitudo et constans gradus in epidemiis, tunc enim sibi ipsæ fit similis ope *constitutionis* et non sporadicâ infectione.

In illâ febre secundaria inflammationi externæ semper congruunt generalia symptomata, idest viscerum irritatio constanter cutis phlegmasiam imitatur, quod est necessarium siquidem altera alteri jungatur tanquàm effectus ad causam, è contrario febris primariae. Sic abest in rubeolâ et scarlatinâ illa febris, abest etiam in variolâ per viginti aut quadraginta horas, donec irritatio cuti innixæ localem laborem suscitaverit, per quem natura in organa interiora irritationem irradietur. Magni momenti est in theoriâ (ad confirmandam thesim) illa quies brevis ac quasi somnus irritationis, nec satis illius curam habuerunt auctores. Tunc desinit omne quod in morbo specificum erat, novas que vias incipiens irritatio generalem naturæ ordinem persequitur... Febris illa secundaria *ex suppuratione* dicitur.

Quam vis de solo exanthemate specifico dicendum sit, ad illustrandam comparatione materiam pauca afferemus de utroque altero ordine.

SECUNDUS ORDO.*De exanthemate viscerali, sive nascenti in statu viscerum.*

In illo ordine viscerum et cutis consensus inversam seriem affectat ac in febris secundariâ, nuper expositâ, eandem verò ac in febris primitivâ aut invasionis; idest irritatio à visceribus in cutem transducitur. Quod fuit satis D. Broussais ad arguendam inter duos ordines similitudinem aut etiam identitatem. Immenso tamen spatio, me iudice, distant solâ contagionis ope. Præterea in utroque non per ejusdem principii auxilium phlogosis fluit ab interioribus ad externa. In illo de quo agitur ordine, viscerum irritatio insertur in cutem per vim propriam et morbiferum physiologici consensûs incrementum, et non per specialem morbi indolem sicut in specifico exanthemate. Ad producendam eruptionem in priori viscera sufficiunt et sunt activa; in posteriori viam tantum præbent inflammationi ut ad cutem transeat. Quot alia adsunt discrimina! In illo actuali, è contrario specifici exanthematis, 1° inflammationi viscerum semper congruit cutanea irritatio; 2° quamvis levior sit viscerum phlogosis, ac proindè revulsioni maximè idonea, in cutem exanthematosam rarè tota detrahitur, absente illo *molimine* quod essentialiter ad exterius tendebat, aut perstante irritationis causâ (biliosâ mucosâve colluvie, aut ciborum congerie). Tunc extenditur aut serpit *erysipelas*, multiplex fit *furunculus*, *urticaria* intermittenti ingenio induitur.

Etsi ab eruptione *gastro-dermicâ* secernamus exanthema specificum, illud tamen aspicere non debet tamquàm ens ontologicum, sed tamquàm status generalis, forsitan consistens in humorum alteratione, sed evidenter descriptam symptomatum seriem evolvens, et ab organis accipiens formam, non naturam.

TERTIUS ORDO.*De exanthemate simplice aut locali.*

In illo ordine omnia à cute incipiunt, eruptio cutanea febris est causa et

origo. In cute sedet inflammatio simplex per causam exteriorem producta. Illa, si levis sit et minori spatio coarctata, nullo influxu afficiet organa interiora; sed acutissima aut largius producta viscerum inflammationem suscitabit. Nec quidquam est præterea. Tertius ille ordo multò magis ergò quàm secundus distat à specifico exanthemate, quamvis sequentes præ se ferens cum illo similitudines. In utroque fit consensus a cute ad viscera, in utroque intus reperienda inflammatio genitrici est congruens. Sed in illo actuali genere cutanea eruptio totam amplectitur affectionem, in altero è contrà ad constituendum morbum cutis cum visceribus concurrat.

TERTIA PARS.

Variarum opinionum disquisitio, et corollaria ex thesi deducenda.

Nunc penitus et quasi pedetentim symptomatum indagatione peractâ, ad opinionum judicationem veniamus.

Veterum sententia quæ exanthema acutum ac febrile (et nobis illud verbum æquè sonat ac *specificum*) inter pyrexias ordinabat, fuit maximè proxima veritati, si quidem raptus et moliminis cujusdam in cutem esset conscia, quod enuntiabatur per quamdam humorum effervescentiam. Sed in illo sensu error versabatur quòd interna inflammatio tanquàm complicatio haberetur. Ignotus etiam erat consensus viscerum, nam ad facilius efficiendum exanthema, ministrabantur excitantia quorum sola virtus secundaria in visu erat, omissâ actione primariâ sive contactus suprâ ardentes jam mucosas.

Multò magis à veritate remotus erat prof. *Pinel* qui statûs interioris curam non habens, vigente adhuc viscerum reflammatione, ad cutem solam spectabat. Defuit illi reflexio cur intelligeret hunc *humorismum* effervescentibus liquidis tributum nihil aliud esse quàm ignoti inter cutem et viscera consensûs expressionem. Præterea nec minor fuit error quandò, in variolæ

curso, ex suppuratione factâ febris jam non sympathici consensûs suspicionem attulit, et remansit adynamicæ vel ataxicæ complicationis vana exco-
gitatio; undè infelici et præposterâ directione curatio agebatur. Novissimis in editionibus ad meliora fuit redux (quantum pertinet ad therapëiam) ad
meras inflammationes revocando complicationes sive *accidentia*, ut ait. Nec
etiam facta fuit distinctio specificam esse mucosarum primariam inflamma-
tionem, è contrario secundariæ affectionis pneumonum, cerebri aut pleura-
rum quæ ex simplici consensu organorum oritur. Denique pessima manet
ordinatio exanthematis specifici inter cutaneas inflammationes.

Ex opposito sensu veritatem non attingit D. *Broussais* qui morbum velut
simplicem gastro-enteritidem, anginam aut catarrhum amplectitur, conta-
gionem revocans in dubium, et specificitatem recusans propter iteratam et
multiplicem infectionem. Cui opinioni præsidium non afferunt interiorum
organorum gravissimæ alterationes, similes exstant in cute, undè par copia
foret illis tribuendi morbi. Sed nec interioris nec exterioris inflammationis
vestigia affectionem constituunt, habenda sunt tanquàm morbi nudum ca-
daver. In neutro enim adest vinculum commune quod duas symptomatum
series jungat, ità ut affectio a primo ortu ad finem essentialiter evolvatur.
Nec ad auxilium afferatur observatio D. *Jolly*. (1) (aut quælibet alia similis)
quæ veram scarlatinam belladonæ usu productam fingit. Spuria fuit illa scar-
latina, et propter causam ad secundam seriem exanthematum revocanda.
Quippè ex solâ contagione legitima mihi visa fuisset, quæ contagio non pro-
bata litem sub iudice linquit.

Excussis auctorum opinionibus, si nostra quæretur sententia, ex dictis
legitimè deducetur exanthema acutum ac febrile duplici ordine symptoma-
tum constare. Initio *specifica* est indoles, adest status generalis, in humo-
rum aut liquidorum vitio consistens, *raptus* sive *molimem* quasi excentricum,
quod ex profundis parenchymatibus ad exteriora tendens, in utrumque
côrporis tegumentum (mucosas et cutem) impetum facit. Dein ex illâ sede
in omnia viscera fit irradiatio *secundum leges physiologicas et organorum
naturalem consensum*. Contrà priorem symptomatum seriem impotens me-

(1) Nouv. Bibl. Médic., 1828.

dicina, nisi ad directionem, posteriorem non solum debellare valet sed etiam antevertere. Illam nostram opinionem sermone aphoristico exponere liceat.

1° Exanthematum causa triplex est; *localis, visceralis, specifica*.

2° In *locali* sive *simplici* exanthemate eruptio caput est morbi; febris est symptoma complicationis visceralis, posteriorque phlogosi externæ.

3° In *viscerali* sive *gastro-dermico*, ab inflammatione viscerum pendet exanthema et febris. Illa febris est essentialis in illo sensu quod organi ipsius affecti morbum denuntiet.

4° In exanthemate *acuto ac febrili* sive *specifico* febris semper est symptomatica, sed eruptioni anterior aut posterior.

5° Febris illa *eruptioni anterior* principii specifici actionem in viscera exprimit, et cessat vergente eruptione.

6° Febris *eruptioni posterior* exanthematis vim et spatium, et cutis in viscera sympathiam, et viscerum inflammatoriam diathesim exprimit.

7° Erumpente exanthemate si non cessat viscerum irritatio, illa incrementum à cute accipit.

8° Ataxia, malignitas non sunt specificæ affectionis complicationes, sed illius ultra modum productio.

9° *Ante productum exanthema* supervenit ataxia translato molimine in centra nervosa.

10° *Post productum exanthema* evenit ataxia ab immediatâ reactione cutis in centra nervosa, aut mediato influxu per mucosam iterum inflammata.

11° Exanthematis *specifici* cursus curatione non impeditur, sed dirigitur.

12° Exanthematis *gastro-dermici* curatio in viscera dirigi debet, non in cutem.

13° In *locali* exanthemate *localis* curatio.

14° Exanthema *acutum ac febrile* sive *specificum* non sistit in *gastro-dermicâ* phlogosi, nec à fortiori in cutaneâ inflammatione.

Ergò :

**IN EXANTHEMATE ACUTO AC FEBRILI,
MORBUS NON EST TOTUS IN INFLAMMATIONE CUTIS.**

Nota... Quamvis non ad praxim sed ad philosophiam instituta fuerit thesis, incipientis in mente erat plures adjungere observationes, quæ è variis auctoritabus depromptæ, propriisque annexæ, uberius propositiones confirmâssent : superstiti animo defuit tempus.